

Hugonis Blotii oratio in Hutterianos homicidas

Autor(en): **Blotius, Hugo**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 13

PDF erstellt am: **16.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394642>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

HUGONIS BLOTHII [*]
O R A T I O

in

Hutterianos Homicidas.

1582.

HAud equidem dubito vos, Judices, mirari, quid sit, quod cum in hoc judicio de gemina cæde, qua nuper Hutteriani *Laurentium Eislerum* & HADRIANUM FRISIUM sustulerunt, instituto, ipsi occisorum parentes, fratres, aliique consanguinei adsint, adsint etiam non pauci disertissimi causarum Patroni, ego potissimum ad accusandum cædis auctores profiliam, is qui neque cognatione occisorum, neque rerum forensium usu, neque linguæ germanicæ peritia, sim cum iis qui adsunt, comparandus. Hi nempe, quos memoravi, parentes & propinqui tantam
cala-

[*] Hugo Blotius Delphis oriundus, Jura Argentorati docuit, postea Maximiliani & Rodolphi II. Imp. Rom. auspiciis Bibliothecæ Viennensi præfuit, primusque titulo Bibliothecarii S. Cæs. Majest. insignitus, obiit anno 1608.

In Lexico Eruditorum p. m. 450. præfens hæc Oratio jam typis edita memoratur, quæ quum albis corvis rarior sit, operæ pretium nos facturos duximus, si illam non tantum ob argumenti gravitatem, stylique elegantiam, sed imprimis ut publice etiamnum casum eruditi Civis nostri HADRIANI FRISII lacrymemus, e msc. quodam iterum prælo subjiciendam curarem.

calamitatem tantamque injuriam sibi illatam putant oportere accusari; accusare ipsi propter doloris magnitudinem non possunt. Ita fit, ut adsint propterea, quod crudelissimos homicidas a vobis, Judices, puniri postulant; accusatione vero legitima supersedeant idcirco, quia alii eorum diuturna actione, ac frequenti in judicium itione, & odiosissimo eorum, a quibus sui indigne necati sunt, vultus conspectu acerbissimum doloris sui vulnus refricari nolunt: alii vero ætatis defectu aliisque incommodis impediuntur: illi vero, quos dixi, patroni disertis ob cognationem, eodem dolore, partim causæ quæ hoc judicium conflavit, ignorance, ab incusatione abstinent. Quid ergo? Egone propterea ex omnibus maxime ad accusandum idoneus? minime. At meane quam parentum postulatio ad exercenda severa judicia plus habebit momenti? Impudens sim & arrogans, si hoc mihi persuadeam. Quæ me igitur res præter cæteros commovit, ut me ad accusandum cædis auctores converterem?

Dicam, Judices, brevibus, efficiamque, ut cognita consilii mei causa ac ratione, una & id quod facio probetis, & in hac causâ profecto neminem esse mihi proponendum auctorem putetis.

Infelicium qui occubuerunt Juvenum alter, auditor & discipulus meus, alter vero Minister, & in curanda ornandaque Augusta Cæsaris Clementissimi Domini nostri Bibliotheca amanuensis fuit. Vidi alterius parentes luctu & squallore perditos circumspicere, ecquis illorum misertus, id quod ipsi propter doloris vehementiam & nimiam ani-

mi perturbationem facere non possent, susciperet, & perditissimos sicarios indignissimæ cædis reos ageret. Alterius vero fratrem germanum *Samuelem FRISIUM* [*] adolescentem in hac urbe peregrinum, fratris sui mortui desiderio tabescentem, optare quidem aliquem causæ suæ cognitorem actoremque, qui tantum facinus vindicaret, sed suæ se peregrinitatis & solitudinis conscium animum [nisi ego ipsi adessem adjutor & patronus] despondere. Præterea reliquos fratres, viros profecto eruditissimos, cum annosa sua atque ærumnosa matre itidem hoc casu afflictos & consternatos, per litteras meam hanc eandem opem implorare. Ad hæc, Academiam Tigurinam universam epistola a D. Lavatero, ejusdem Scholarcha, Viro Clarissimo & integerrimo ad me scripta, hanc causam mihi commendare. Tum de eadem, ipsam Civitatem Tigurinam literas ad Sac. Cæs. Majest. gravissime scriptas dedisse. Consideravi, utrumque juvenem interemptum hujus nostræ Viennensis Academiæ, in qua ego & ex qua vivo, alumnum fuisse, in magna summæ eruditionis expectatione. Dolui, amanuensis mei morte ipsam Bibliothecam Imperatoriam, cui sum præfectus, maximum detrimentum accepisse, moleste tuli, me ipsum optimum atque fidelissimum rerum mearum Curatorem amisisse. Cum itaque tot & tales

[*] Fuit hic Samuel, pictor & lithotomus artificiosissimus, qui, postquam aliquandiu operam suam Comiti Solmensi navasset, in Moravia d. 22. Junii 1596. diem suum obiit supremum ætatis suæ 34.

tales homines cernerem, a me, ut hanc causam susciperem, contendere, qui apud me & amicitia, & dignitate, & studiorum conjunctione plurimum possunt; certe eorum neque necessitudinem violare, neque auctoritatem aspernari, neque petitionem rejicere volui: nec cum artem oratoriam in ea schola profitear, de qua miseri illi adolescentes discipuli mei sunt sublati, quid ars ipsa possit, non ostendere; atque una actione causam meam, causam fratrum ac parentum occisorum, Civitatis Tigurinæ, duarum Academia-
rum Reipub. literariæ, denique causam Augustæ Bibliothecæ, atque adeo ipsius Sac Cæs. Majestatis agere. His enim omnibus gemina hac cæde injuria non minima est facta. Hæ sunt causæ, cur ego me huic causæ Patronum constitui passus sim; non quidem electum ex omnibus, qui maximo ingenio, Germanice, ex usu Viennensium forensi, sed fato quodam attractum, qui optimo jure, Latine, ex veteri Romanorum consuetudine [quoad quidem ingenium ferat] possem dicere; neque uti satis firmo actoris præsidio niterentur injuria affecti, verum uti ne omnino eorum causa deserta jaceret: *Frisiorum* præsertim, quorum absentiam & solitudinem quanto superbius adversarii contemnunt, tanto acrius eam mihi defendendam esse video. Quod si feliciter, uti spero, perfece-
ro, eadem opera, eademque actione *Eislerorum* quoque causa, quæ cum hac conjuncta est, ut-
cunque defensa esse censebitur. Hoc autem in negotio, illa me res Judices consolatur, quod hæc quæ videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Dum enim tantæ immanium hominum audaciæ ob-

viam eo, dum flagitiosos & omnia legum repa-
gula perfringentes ad supplicium & meritas pœ-
nas voco, non tantum Eislerum & ejus liberos ad-
huc spirantes, non tantum *Samuelem Frisium*, Ha-
driani occisi fratrem, in hac urbe non tuto versan-
tem, non tantum me ipsum crudeles triumphan-
tum adhuc in victoria homicidarum iras timentem,
defendo, non tantum injuriam Academiae nostrae
& Tigurinae, Musis & literis, atque huius Cæsa-
reae Majestatis Bibliothecae illatam vindico: verum
etiam multos mortales & cives Viennenses crudeli-
bus exemplis libero. Quod si hanc causam, tam
idoneam, tam illustrem, tam gravem non habe-
rem; si aut hoc a me Academia Tigurina & Ha-
driani fratres non petiissent, si nulla mea aut Cæ-
saris res ageretur, & hoc quod facio, Reipublicae
tantum causa me facere profiterer, ut & homines
singulari & inaudito scelere praediti, quorum fla-
gitia passim jam sunt nota, me agente, in judi-
cium vocarentur, quis tandem esset, qui meum
factum aut consilium posset reprehendere? Si enim
tam tetra tamque atrociam facinora impunita transie-
rint, tandem non modo in vicis & campis paten-
tibus, sed etiam Viennae in foro, in privatorum
domibus, imo vero ante vestra, Judices, subse-
lia, & ante divorum immortalium aras, homi-
nes teterrimi impunitatis exemplo adducentur,
ut caedes & latrocinia committant. Proinde quan-
quam causam actionis justissimam habeo, dum ta-
men eos, cum quibus mihi in hoc iudicio pugnan-
dum est, considero, non parum, Judices, com-
moveor, tres enim in iis res esse video, quae
in civitate plurimum posse solent, quaeque con-
tra nos in hoc tempore faciunt, summam grati-
am;

am ; opes ; & ingenium. Horum duo priora in *Hutteris* sunt & in *Tertio* ipsorum affine , tertium cum etiam in *Tertio* sit , tum maxime in *Mothsin-gratio* , causæ adversariæ patrono , enitet : Hujus enim viri magna ingenii vis & astutia cum eloquentia conjuncta , ne vestros , Judices , animos calide circumveniat , vehementer metuo. Illorum vero gratia & divitiæ , præsertim *Tertii* , ne nostræ causæ noceant non mediocriter pertimesco. Quæ cum in illis summa sint , non magnopere tamen laborarem , si in nobis essent saltem mediocria. Verum ita se res habet , ut ego qui , non quidem ætate , sed usu hujus civitatis forensi & exercitatione litigandi pene tyro sum , & ingenii sagacitate parum possum , cum Patrono acutissimo & in illis omnibus versatissimo committar. *Frisii* vero partim absentes , partim in hac urbe peregrini , nullis facultatibus , nullis amicorum copiis muniti cum adversariis gratiosissimis & omnibus rebus florentissimis contendant. *Hutteri* certe & sororis horum maritus , *Tertius* in apparandis conviviis nemini secundus , sed primus omnino , hi , inquam , omni copia affluentes , mensæ suæ illecebris similibusque opum fructibus incautos multorum animos sibi adjungunt , nobisque detrahunt. Nos vero contra , neque ad seculorum lautitiam , neque ad pecuniæ spem , quæquam invitamus , quod partim opibus destituti nequimus , partim rectiore disciplina imbuti nolumus. Quare tanta est apud nos fautorum , amicorum , adjutorumque paucitas , quanta apud illos eorundem multitudo , & dispar profecto certaminis genus : Cujus non ignari adversarii nostri pecunia freti , & reges imitati opulentos & cautos,
qui

qui hostes viribus imbecilliores cunctando ac bellum trahendo frangere solent, nos ab hisce rebus male instructos fatigare, & ab incepto persequendo deterrere nituntur. Tum præter hæc illud etiam auxilii sibi adjungent Hutteriani, quod ipsorum feroces mores & militares spiritus nobis formidini fore sperant. Videre profecto erat tum, cum primum hac de causa in judicium veniretur, quemadmodum quidam istorum affectu truculentos suos & minaces oculos in me & in eos, qui justitiæ munus urgebant, torserint: Indigne scilicet ferentes, inueniri quenquam, qui in hac causa contra ipsorum potentiam, gratiam & audaciam hiscere audeat. Mihi profecto in mentem venit cogitare, Judices, hac lege Hutterianos nobiscum agere velle videri, ut dicant: Occidimus petulanter & crudeliter innocentes, vos qui superestis eorum propinqui, Magistri, aut Heri cavete ne nos cædis reos agatis, nisi ipsi quoque nostris telis occumbere velitis. Deinde tantam esse illorum amentiam, ut quod nefarie admiserunt scelus, id per vestras quoque sententias, judicia & jusjurandum, quo vos Deo & Cæsari obstrinxistis, approbari postulent. Quid enim aliud hoc iudicio ab istis tentatur, dum mutuæ perpeffionis pœnam, quam vulgo Talionem vocant, nobis intentant, & ut ipsi crimine per vos absoluti impune victores abire queant, contendunt. Quæ lex si valebit, ut valere debet, Judices, ipsi diu hanc lucem non aspicient, mortem enim quam intulerunt innocentibus, ipsi nocentes oppetent. Attamen homines confidentissimi opibus & artibus suis freti, non modo hanc legem pro maleficio commisso non metuere, verum etiam scelere suo

suo exultare, & *Eisleris* atque *Frisiis* insultare, ac illudere videntur: tum etiam, vos Judices tales tantosque viros idoneos putare, quorum & integritatem pecunia corrumpere, & fortitudinem animi minis terrere, & severitatem blanditiis vincere possint.

His de rebus tantis, tamque indignis, neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati humilis conditio mea, libertati tempora sunt impedimento. Quapropter tottantisque difficultatibus circumventi & afflicti in vestram Judices fidem, æquitatem & justitiam *Frisii* & *Eisleri* confugiunt, & cum adhuc iis propter opes & artes adversariorum, & propter temporum iniquitatem, non jus par, non agendi potestas æqua facta sit, cum iis summam per injuriam omnia adversa & infesta sint, te Prætor *Huttendorfer* magnopere orant, atque obsecrant, ut qualem te Romanorum Imperator, & Excelli Regiminis Senatus, a quibus tibi justitia omnibus ex æquo administranda commissa est, fore judicarent, talem te & nobis & Reipublicæ impertias. Tum vos etiam qui Prætori in consilio adestis, Judices, qui ex civitate in hunc Senatum delecti estis propter dignitatem & severitatem, rogant & obtestantur, ut acria & severa judicia exercentes, multis jam injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco apud vos consistere, & confirmari patiamini. Id quo facilius facere possitis, dabo operam, si me ut hætenus benigne audiveritis, ut a principio res, quemadmodum gesta sit, cognoscatis.

(a) HADRIANUS FRISIUS, [*] Tigurinus, adolescens fidus, diligens, modestus & in litteris non vulgariter versatus, sed ita ut excelleret, cum primum ingenii gravioribus disciplinis excolendi causa huc appulsus esset, mihi famulatus est. Deinde cum ipsum literis deditissimum viderem, ejus virtutes mereri judicavi, ut plusculum otii, & vitæ genus studiosis hominibus accommodatius consequeretur. Effeci igitur, ut JOANNIS EISLERI filios in suam disciplinam susciperet, atque hos docendo ipse nihilominus disceret. In eo suo munere ita vixit, ut non tantum liberorum *Eisleri* pædagogus doctus & prudens, verum etiam totius familiæ Oeconomus utilissimus esset, atque eam ob rem *Eislero* unice carus, tum etiam omnibus municipibus *Wolcherstorfianis* acceptissimus, & quod credi vix possit, ipsorum etiam *Hutterianorum*, qui ob veteres similitates *Eislerum* pessime oderant, judicio probatus. Cum etiam natura pacis esset studiosissimus, in hoc semper incubuit, ut *Hutteriani* & *Eislerus* consopitis inimicitiis gratiam inter se mutuam conciliarent; sed *Hutterianorum* pervicacia nullam pacis conciliationem admisit. Triennio itaque post ad me in Augustam Bibliothecæ

(a) Narratio.

[*] Patrem habuit magnum illum Joannem Frisium, Ludi Magistrum & Canonicum Tigurinum celeberrimum. Natus die 15. Februarii 1555. in stipendium Ecclesiæ Tigurinæ receptus die 7. Maji 1571. extinctus 1581. ætatis suæ 26. Nullos ingenii sui præcox hic eruditus, quod scio, fœtus reliquit. Servat tamen Archivum Ecclesiæ nostræ, historiam de eiectione Ministrorum Augustanæ Confessionis ex Urbe Vienna 1578. manu Hadriani nostri, ex ipso originali descriptam.

bliothecam HADRIANUS revertit, non quidem
 jam ut Minister vulgaris, sed ut in rebus ad Bi-
 bliothecam Imperatoriam tantam pertinentibus,
 non tam mihi, quam ipsi Sac. Cæsar. Majestati
 operam navaret. In quo officii genere paucis
 mensibus ita se gessit, ut ad laborem, fidem,
 diligentiam & industriam sibi nihil reliquum face-
 ret. Et cum non sit unius hominis tantam rem
 curare, plus mihi hic unus opis attulit, quam si
 tres alios coadjutores assumissem. Interea tamen
Laurentius Eislerus, Joannis filius, fratrum suorum
 natu maximus in Gallias est profectus, atque ali-
 quot post annis lingua Gallica & bonis disciplinis
 præclare instructus, inde *Wolcherstorfium* cum ma-
 gna parentum expectatione, sed malo profecto
 fato tribus ante mortem suam dierum hebdomadi-
 bus lætabundus in suorum conspectum rediit;
 omnibus quidem notus erat adventu suo & quo-
 tidiana consuetudine summam voluptatem adse-
 rens, parentibus imprimis, quod in hoc filio docto
 & mansueto multisque virtutibus ornato, spem
 suam summam reposuerant. Decimo autem sep-
 timo Kal. Septembris *Hadrianus Frisius* a veteri suo
 hero *Eislero* ad celebrandos dies Templi *Walcher-
 storfiani* dedicationi festos invitatus, eo libentius
 excurrit, quod *Laurentii*, discipuli olim sui, jam
 eruditione simul & corpore adulti, consuetudine
 magnopere delectabatur: Sed ignara futuri homi-
 num pectora! sub ipsam omnium lætitiâ for-
 tuna mobilis se commutavit. Exeunt in ulterio-
 rem municipii partem invisendi cujusdam amici
 causa præceptor & discipulus. Subsequitur pater
Eislerus cum aliis suis liberis parvis, & quibusdam
 ex familia, nullis munitus armis, quia iis opus
 fore

fore non putavit, exiit, inquam, ut quia postridie dies Dedicationis anniversarius simul & mercatus esset futurus, vigilibus constitutis, provideret, ne in magno diversorum hominum concursu & intempestivis comotationibus aliquid diffensionis, tumultus aut incommodi oriretur; convenerant etiam id temporis Wolcherstorfium *Joannis Jacobi Hutteri* (is enim uxorem nobilem, ex Principis Anhaltinae Gynæceo duxisse dicitur) Conjugis fratres, Francones, homines militares, & superbi. *Eisleri* dominatum, quod sororis suæ maritus illam ditionem non obtineret, moleste æque atque ipsi Hutteri, & eorum mater, ferentes. Cum hi sub serum vespere egregie poti hora a meridie nona per fenestras domus Hutterianæ, quæ libera esse dicitur, nec Eislerianæ ditioni obnoxia, Eislerum cum suis domum revertentem conspicerent, fannis, mycterismis, & fœdis oris ructibus ipsi & ejus comitatu petulantissime illudebant. Quod indigne ferens *Laurentius Eislerus*, quorsum illæ subsannationes pertinerent, rogavit, tum illi stomacho æstuantes, ad convitia aperta & intollerandas verborum contumelias prorumpentes, & Patrem & liberos, reliquosque qui aderant laceffere sunt aggressi, *Eislerum* nebulonem, ejus liberos spurios vocitantes, crescentibus inde utrinque verbis, conviciis & minis, tandem provocatione utrinque facta, arma corripunt *Hutteri* fratres, eorumque affines Francones, tormenta etiam glandibus plumbeis, & pulvere nitrato onustaprehendunt. Dum hæc fiunt, *Eislerus* a quibusdam suorum persuasus, ut adversariorum furori cederet, ad arcem suam se convertit. Interim mulier quædam (hanc non-

nonnulli filiam Hutterianorum fuisse contendunt) heus ; inquit ; vos revertimini ; nebulones namque isti fugæ jam se dederunt , vestrum vultum ferre nequeunt. Hac voce audita Eislerus , rei indignitate commotus , vigiles suos revocat , & adesse , inquit , nobis , vos qui fidem mihi vestram jurejurando obstrinxistis , ut dum illos rogo , cur me nebulonem fugitivum vocent , & causam tantæ contumeliæ inquiri , si vim attulerint , me a petulante istorum injuria defendatis. Consistit igitur *Eislerus* cum suis , & de tanta contumelia & improbitate cum ipsis exostulare incipit. Illi nihil morati agmine tumultuose facto in Eislerianos prorumpere , cædere , fundere , jaculari , glandes emittere , & tormentorum tonitribus agrestium hominum vigilias terrere contendunt. Pavidæ itaque rustici certatim diffugiunt , pugnam simul & Dominum deserunt , soli *Laurentius Eislerus* pie pro patre , & *Hadrianus Frisius* fide & fortiter , hoc est , Helvetico more , pro Domino suo veteri , & tertius quidam , qui *Frisio* in pædagogiam Eislerianam successerat , satis etiam strenue , pro communi causâ depugnantes aliquandiu impetum numerosæ turbæ sustinent , donec scelestissimus quidam latro *Laurentium* cominus ense cum alio dimicantem , nec quicquam tale opinantem , funesta glânde eminus medium trajicit. Lethali vulnere saucius infelix adolescens , ad patrem se recipit , & fugæ , inquit , o pater , ac te præsentî periculo eripe ! Vita enim mea hodierno die finem invenit. Interim pædagogus *Eisleri* novitius casum *Laurentii* miseratus , simul de heri sui salute sollicitus , pugnæ se quoque subduxit. *Hadrianus* cum multis etiam tum manus conferens

sed mox miser ense fracto destitutus, & multorum ictibus fatigatus pedem dum referre & periculum evadere studet, in trunco arboris ibi forte projecto offendens, ita lapsus est, ut genibus nitens neque jacere, neque stare dici posset. Hic Ursi fœdi, (nam Leonum nomen generosius est, quam ut talibus tamque turpibus hominum monstris attribui debeat;) inermem & labentem, sudibus, contis, gladiisque ad terram plane abjiciunt. Dum hæc geruntur, *Joannes Ludovicus Hutterus Eislerum* furiose insequens (nam hujus vitam maxime petebat) a tergo adoritur, & machæra lata, ponderosa atque incurva supra caput fugientis elata, ictum quo ipsi cerebrum dispergeret, intentavit, quem excipiens Pædagogus novitius, vitam hero servavit; rumor plerorumque sermone sparsus affirmat, hunc *Joannem Ludovicum*, cum elapso ex manibus *Eislero*, se spe sua sanguinaria frustratum videret, furore percitum, *Hadriano* jam humi jacenti armisque exuto illa eadem sua machæra, qua *Eisleri* sanguinem fundere tentaverat, immani vulnere a fronte usque ad verticem caput fidisse. Hoc peracto ab Hutterianis nefandissimo facinore, *Laurentius Eislerus* vix in conspectum arcis fugiens viribus defectus in lignis quibusdam, prope arcem, tamdiu subsedit, donec a suis in lectum deferretur. *Hadrianus* interim ob cerebri læsionem & doloris vehementiam mente minus constans, & jam ab omnibus desertus atque destitutus (nam in tam furioso tumultu, quique sibi timens, in fuga, & occlusis januis spem salutis ponebat) solus diu oberrabat, vigilibus & municipibus fœdam suam perfidiam, & domini sui desertionem identidem vociferando exprobrabat,

brabat, simul doloris sui magnitudinem clamore indicabat, tandem humi prolapsus, modo nitebatur, modo rursus concidebat, denique neque motum, neque quietem pati poterat, donec tandem a suis inventus in arcem & in lectulum deduceretur. *Laurentius* quinque tantummodo post pugnam horas, *Hadrianus* usque ad sequentis diei vesperam vixit, uterque pie, alter pro Patre, alter pro Domino vitam fundens, animam Deo reddidit. *Hutteriani* interim nihilominus cum suis tanquam re bene gesta & victoria ovantes potare, & indulgere genio perrexerunt. Postridie nuncius de hac re tristissima ad me & ad *Samuelem Frisium*, Hadriani fratrem, Viennam adfertur. Illico equos conscendimus, propere ad lamentabile spectaculum advolamus; ambos infelices Juvenes uno in lectulo jacentes invenimus, alterum capite horrendum in modum hiante, alterum trajecto pectore & cruore per vulnus stillante tabidum, totoque corpore tumidum, lividum & decoloratum, certissima venenatae glandis indicia, invenimus. Juxta funera & lectum filii sanguine madentem, moestissimam offendimus *Laurentii* matrem, planctu & luctu pene insanam, sæpeque dolore victam animi deliquium patientem: Offendimus patrem filii desiderium æque impotenti animo ferentem, tum etiam fratres & sorores ejulatu & lachrymis omnia complentes. Quid dicam, Judices, adeo miserabile, adeo luctuosum fuit hoc spectaculum, ut eo vel ipsa saxa commoveri posse viderentur. Meus certe animus mollior fuit, quam ut rem tam atrocem conspicerem diutius possem. (b) Et quid mirum, cum etiam

(b) *Miraculum.*

equi mei, bruta animantia (quod profecto miraculi instar videri potest) funestam illam domum Hutterianam, cum Viennam reverterer prætereire adeo recusarunt, ut nullis pene verberibus, nullis plagis, ut pergerent compelli possent. Hoc tantum mihi & Samueli lætandum fuit, nos post cædes potius, quam ante cædes *Wolchérstorfiun* venisse. Cum enim uterque nostrum æque atque *Hadrianus*, ab *Eislero* invitati essemus, bono quodam fato factum est, ut per occupationes nobis excurrere non licuerit. Quod si factum fuisset, crudelibus Hutterianorum telis itidem fortassis ambo occubuissimus. Sed Deus Opt. Max. propterea nos conservasse videtur, ut superessent, qui tam fœdum facinus vindicare laborarent. Audivistis rem omnem Judices nude & simpliciter, atque adeo vere expositam, percepistis, quam deplorando casu duo innocentissimi juvenes, a barbarissima audacissimorum hominum cohorte sint necati. Quapropter vos oro atque obsecro Judices, ut attente bonaque cum venia ea quæ deinceps, dum ad causam propero, dicturus sum, audiatis.

(c) Ex qua domo cædes ista gemina atque miseranda profecta sit, constat Judices, mihi que cum adversariis de eo convenit. Sed cum homines versipelles eos jure cæcos esse, verborum involucris magis, quam re ipsa persuadere credulis nitantur, & ita res suas tegant, ut adhuc de veris auctoribus nominatim exhibendis dubitari apud nonnullos videam, in tribus omnino rebus tota mea vertabitur oratio. Primum enim ostendam,
indi-

(c) *Propositio.*

indignissime & summa cum injuria (quicumque tandem auctores fuerint) mortem insontibus esse oblatam. Deinde veros auctores ita detegam, ut dubitationem omnem animis vestris adimam. Tum denique de pœna tantæ immanitatis homicidis digna juste irroganda differam.

(d) Provocatos se esse ad pugnam ab Eislerianis contendunt Hutteriani, atque propterea se justam defensionem suscepisse, justeque & ipsum *Laurentium*, atque ipsius adiutorem *Hadrianum* cecidisse. Quo quæso vestra vos audacia rapite homines impudentissimi? Adeone simul pudorem cum mente amisistis, ut hujus vos vanitatis non pudeat?

Provocatos vos esse dicitis? a quibus? a Sene *Eislero*? At ne aciculam quidem hic qua se defenderet, secum habebat. A *Laurentio* Senis filio? Quis credet adolescentulum fere adhuc puerum, imberbem, imbecillum, & corpusculo imbecillo vix ossibus hærentem, otio literario addictissimum, atque in omni mansuetudine ita innocenter educatum, ut æqualibus suis pulcherrimum modestiæ atque omnis virtutis exemplum statueretur, provocare istos pugiles & gladiatores fuisse ausum? quid igitur? Ab *Adriano* hanc injuriam accepistis? Hoc si dicitis, ajo vos omnium hominum impudentium qui vivunt esse impudentissimos, nec minus esse vanos, quam si nivem æstivis solis radiis in glaciem fuisse concretam effutiretis. Quis enim hoc homine unquam quidquam

G 3

vel

(d) *Argumentatio. Prima pars propositionis, non jure sed injuria casos esse.*

vel continentius, vel moderatius, vel moribus
 sedatioribus præditum vidit? Ego mitissimum hu-
 jus ingenium non ex aliorum relatu, sed ex do-
 mestica quotidianaque consuetudine multos annos
 cognitum exploratumque habeo. Is quoties do-
 mi meæ, ut sit, inter ministros meos aliquid dis-
 sensionis oriretur, non conquievit, antequam
 omni offensione composita tranquillitas familiæ
 restituta esset, me si familiam objurgarem apud
 eam excusabat, & familiam apud me; me cle-
 mentia, illis non audientibus, admonebat, ut-
 que in meos lenior essem rogabat: & contra si
 quid familia peccaret, vel juventutis errore, vel
 per imprudentiam deliquisse affirmabat, non in-
 terim desinebat officii illos sui, clam me, admo-
 nere, & ad fidem & diligentiam adhortari. Eas-
 dem artes in familia *Eisleriana*, easdem inter vi-
 rum & uxorem ubicunque habitabat, easdem quo-
 que inter vos matremque vestram & *Eislerum* exer-
 cebat. Ad cujus recte monita, nisi vos vestras
 aures obdurassetis, & viverent illi, quos crude-
 lissime hac luce privastis, & vos nullum supplici-
 um, quod jam meriti estis, maneret. Memoria
 enim haud dubie adhuc tenetis, quam crudelia
 vestra & superba responsa mitigare, atque longe
 leviora semper, quam vos dixeratis, simultatis
 devitandæ causâ, ad *Eislerum* referre solitus fuerit.
 Vos autem arrogancia & crudelitate præcipites,
 hominem studiosissimum & tranquillitatis vestræ
 auctorem, (nam absque illo forte, jam pridem
 in hæc incommoda incidissetis) indignissime in-
 teremistis. Cum itaque neque *Eislerus* pater, ne-
 que filius *Laurentius*, neque *Hadrianus Frisius*,
 multo minus reliqui ejus filii, plane pueri, vos
 provo-

provocarint, quod eos vel non potuisse, vel noluisse, vel causam non habuisse constat, Vos, vos, inquam, totius funestæ tragœdiæ architectos & principes esse fateri debetis. At vero ut demus *Laurentium*, (nam eum cum se mortuus defendere nequeat, provocationis auctorem esse affirmatis) sua & patris sui contumelia commotum, aliquem vestrum solum cum solo conficturum, ad pugnam invitasse; licuit ne idcirco vobis, numero tam multis, tot armis, tot telis, tot tormentis, instructis, tam barbarico tumultu in paucos partim senes inermes, partim Juvenes pessime armatos impetum facere, nec æquo conflictu cum adversariis congregari? Sed hastas ensibus, sclopetis gladiis opponere? Glandes inunctione inficere? Denique adversarios inermes & jacentes (quod vobis non minus facile, quam turpe fuit) superatos interficere, vosque humano sanguine contra humanas & divinas leges imbuere? Et adhuc disputatis, jure ne an injuria miseros istos esse occisos statuere debeamus? Ecquod jus vobis concedit euntem via publica, ditionis in qua vivitis dominum, autoritate Imperatoria constitutum, ludibriis laceffere, & intolerandis verborum contumeliis onerare? Ecquod jus concedit imbecillos juvenes nullis talibus tormentis instructos, sclopetis & glandibus infestis atque venenatis trahere? Ecquod jus permittit exarmatis & humi jacentibus, jamque multitudine vestra victis & superatis ausu fœdissimo atque inaudito & lethali vulnere caput secare? O rem nefandam & atrocem. Judices, atque omnibus suppliciis vindicandam! Hutteriani priores irrident, priores conviciis & omni contumeliæ genere homines pacificos do-

mum euntes laceffunt , provocant ; & quia illo-
 rum insolentiam mirati , ecquid cauffæ fit tantæ
 insolentiæ rogant , hos auctores mali , hos pro-
 vocatores ad pugnam pronuntiant , multitudine
 eos opprimunt , inæqualibus & venenatis armis
 conficiunt , inermes armati lacerant , & tamen
 jure cæfos clamitant . Utrum autem credibilis
 est , eos esse hujus mali auctores , quos natura pa-
 cificos & literarum studiosos , mansuetos , & quie-
 tis appetentes creavit , quibus summum benefi-
 cium habitum est in ditione a Cæfare concessa inter
 homines sibi subditos posse pacate vivere ? An
 vero eos , quorum vita inde usque ab ineunte ado-
 lescentia in litibus , pugnis , et digladiationibus
 versata est ; quorum parentes avari , crudeles , su-
 perbi , præclaras istas suas artes liberis suis tanquam
 hæreditatem per manus tradiderunt ? Te inprimis
Joannes Ludovice compello , tametsi absentem ,
 fugit enim conscientia scelerum tuorum hos justo-
 rum incorruptorumque Judicum vultus ; attamen
 te tanquam præsentem compello , Juvenem gla-
 diatorium corporis habitu , et elato contentioso-
 que spiritu præditum , teque rogo , ecquis inju-
 riæ tum cauffam dederit , cum tu Laurentii fra-
 trem , qui nondum ex ephēbis excessit , patris
 sui mandata innocenter exequentem in publica li-
 beraque platea adortus pugnis et calcibus pene us-
 que ad necem concidisti ? Quem conseciffes , nisi
 miser cum ad pedes tuos superbos abjectus et sup-
 plex jaceret , multis lachrymis et obtestationibus
 mortem esset deprecatus ? Ecquis item origo ma-
 li fuit , cum toties tamque insolenter Eislerianos
 ministros , præter fas et jus , nihil tale meritos
 male multastis ? Vide quo te tua demerferit insa-
 nia ?

nia ? Eo nimirum , unde , si hi qui hic sedent , viri sunt , emerges nunquam. Tua te ante acta vita prodit , tua te præterita scelera detegunt , atque clamitant , te utriusque hujus cædis scaturiginem et fontem fuisse. Et quisnam dubitabit adhuc utri provocatores fuerint , utri alteris bellum indixerint , insidias struxerint , mortem machinati sint ? Certe video ego me , et *Samuelem Frisium* singulari Dei beneficio illo die anniversario fuisse servatos , quod domi mansimus , quod invitati profecti non fuimus. Quanquam enim et ego ex professo pacis semper fui studiosissimus , et *Samuel* adolescens adhuc imberbis , armis tractandis minime est idoneus ; quis tamen istorum crudelitati , si adfuissimus , nos subtraxisset , cum ne illis quidem pepercerint , qui non tantum nullum provocationis signum ostenderunt , verum etiam *Eislero* , ut illorum furori cederet , autores fuerunt ? Sed obvium quemque glandibus plumbeis , telis et ensibus petiverunt. Ergo nos quoque , si illorum telis innocentes occubuissemus , jure cæsos esse dicerent ; quod nempe via publica ante ipsorum domum ambulassimus , quod ludibriis habitis , causam ludibrii rogassimus , quod nobis ipsorum insolentiam , et convicia displicere ostendissemus. Quare utrique nostrum Deo æterno summas agendas esse gratias intelligo , quod illa nobis injecerit impedimenta , quæ domi nos continerent , nec ad illam lanienam proficisci permetterent.

(e) Proinde cum jam innocentissimos adolescentes a crudelissimis latronibus non modo nullo
 G 5 jure ,

(e) *Altera Propositionis pars de Auctoribus cædis.*

jure, verum etiam summam per injuriam necatos esse docuerim; Reliquum esse videtur, ut ex tribus, quæ mihi demonstranda proposueram, alterum persequar, et ad quos cædis suspicio pertineat ostendam. Quod quanquam ex iis, quæ supra memoravi, non obscure conjici potest, tamen paulo propius ad rem accedens, ut omnia magis clara, magisque in aperto sint, Judices, ea proferam, quæ cum Wolcherstorffii postridie ejus diei, quo infelices illi Juvenes occubuissent, essem, ex quorundam municipum sermonibus didici. Agebant, Hutteros fratres, postquam *Johannes Jacobus* uxorem duxisset, spe affinium suorum, hoc est, atrocissimorum Franconum adventum Eisleris esse minatos, Leviros propediem accessuros, tum Eislerum mercatorem piperarium ab hisce doctum iri, quibus se adversarium exhibuisset. Illi autem tandem adfuerunt, armis, telis, sclopetis, onusti; potationibus, bacchationibus, et intempestivis conviviis, non dies tantum, verum etiam noctes sunt transactæ. Notum est illud hominum genus Franconicum. Nunquam equidem tam imprudens fui, ut propter paucos integras nationes contemnerem, nec tam imperitus rerum, ut non intelligerem, omnem terram probos simul atque improbos gignere: unumquemque igitur non ex natione, sed ex virtute sua et vita esse æstimandum. Attamen nescio quomodo fiat, ut quædam vitia quibusdam in regionibus crebriora, quam in cæteris deprehendantur. Germani itaque ebrietatis, Itali libidinis, Hispani furti, et alii populi aliorum peculiarium vitiorum nomine male audire solent, non quidem quod Germania non quosdam sobrios et temperantes,

rantes, Italia castos, Hispania justos producat, sed quod in hisce gentibus ea quæ memoravi vitia, frequentiora deprehendantur. Jam vero omnium opinione, ne dicam experientia, constat, in Norico, ut item in Brunsvicensi et Lunenburgensi agro pauper quoddam nobilium genus, iners quidem, sed tamen crudele, superbum et rapax grassari, vias obsidere, viatores spoliare, et præda innocentibus extorta paupertatem, in quam facultatibus per ingluviem dilapidatis inciderunt, compensare. Ex hoc genere an hi sint *Joannis Jacobi* Leviri nondum compertum habeo, sed profecto suspicari mihi in mentem venit, ab illorum consuetudine istorum mores propterea non procul abesse, quod in pugna illa Wolcherstorfiana, non verorum militum & nobilium, sed latronum & grassatorum more pugnam sunt aggressi. Quid enim sibi volebant tot tormenta bellica, quæ ad manum pendentia ad necandos homines parata, & in promptu habebant, ut simul atque occasio invadendi Eislerianos sese offerret, tempus ad illa instruenda nullum perderent? Quis rem hanc recta reputans ratione, tam cæca mente est præditus, ut non intelligat, consilio inito & deliberatione in hoc crudelitatis diversorio diligenter habita, de communi omnium sententia statutum atque decretum esse, Eislerum & quicumque ipsi auxilio essent, de medio esse tollendos. Hanc igitur occasionem licet nondum satis opportunam, eam tamen tum, cum vesperi Eislerus illorum domum [ex qua tanquam ex specula ejus exitus & reditus, atque actiones ejus omnes observabant] cum suis præteriret, nimia cupiditate id patrandi, quod jam dudum delibera-

rant,

rant, inflammati arripuerunt, nec longius tempus & opportunitatem majorem sibi expectandam putarunt: sed ut latrocinia sua specie tantummodo aliqua honestioris decertationis velarent, primum ludibriis & mox conviciis Eislerum cum suis ad pugnam attrahere aggressi sunt. Id cum non succederet, aperto Marte, quid dudum moliti essent, declarant. Laudabilis in Germania mos maxime inter nobiles observatur, jacentem aut inermem virum ab honesto nemine lædi, tum punctim petere aliquem, aut inæqualibus armis, cum quoque congredi infame facinus ac detestabile haberi. Videamus autem quam hic laudem meriti sint præclari isti nobiles Francones & Hutteri. Robustissimi grassatores, infirmos adolescentes scholasticos, & Senem inermem, & quidem multi paucos adoriuntur, sclopetorum multitudine freti, cum Eisleriani nullum haberent; ut de victoria & salutis suæ certitudine nulla ipsis dubitatio relinquere-
 tur; Unum supererat, quod illis perficendi facultatem dubiam facere posse videbatur, satellitium Eislerianum armis agrestibus utcunque instructum. Sed norant isti rusticos ignavissimum hominum genus ad primum sclopeti sonitum omnes in fugam versum iri. Ad hæc non ignorabant, ita natura esse comparatum, ut plerique eos oderint, quibus parere cogantur, & ut uxores virorum mortuorum mores novorum maritorum moribus anteferre solent; ita etiam eos, qui alicujus ditioni subjecti sunt, veteres Dominos, novis præferre consuevissent. Hæc ipsa res fecit, ut Eislerus turpiter a suis desertus, proditusque fuerit: nec perjurii contaminatione, nec ignavæ timiditatis dedecore homines agrestes deterrentur. Sed hoc

mirari

mirari satis nequeo, cum hisce de causis Hutteri fratres, & Francones de victoria tum essent certi, & vincere se posse sine sanguine, aut saltem sine cujusdam morte certo scirent, cum sclopetis usi sint, cur glandes veneno infecerint? Annon hoc haud nobilium bene natorum, sed plane latronum & carnificum in desertis Noricorum & Luneburgensium locis oberrantium esse, vobis Judices videtur? Vincere potuistis sine sanguine, cur occidistis? Occidere voluistis, sanguinem innocentium sitivistis, cur veneno tela vestra imbuitis, cur jacentem & inermem oppressistis? Negatis Venenum in hac caede esse versatum? Negare non potestis, Laurentii corpus mortuum multi mecum viderunt; aperta veneni signa deprehendimus, decoloratum nempe erat, & totum maculis lividis suffusum, qualia aliorum corpora veneno extinctorum me in Italia olim videre memini. Sed quis est hujus tam barbarici facinoris auctor, quis latro iste tam immanis, ut non tantum vincere, & occidere, verum etiam gemina interimendi arte adolescentulum imberbem & cum altero certantem & impeditum, nihilque tam atrox cogitantem oppresserit? Quis autem? Nisi ex Franconibus Joannis Jacobi Hutteri affinis unus? Hi enim ex ea sunt natione, in qua plurimi in sanguine & ex sanguine viventes, omnia nocendi genera, quantumvis reliquis in rebus liberalibus stupidi, in artibus tamen maleficis & ad perniciem mortalium pertinentibus acutissimi, invenire & exercere norunt. Franco itaque (nisi omnia fallunt) glandem plumbeam veneno tinxit. Franco incautum *Laurentium* trajecit. Franco tragicum hoc facinus patravit. Quis vero omnium *Hadriano* jacenti & inermi

ermi caput fiderit, incertum videri posset, nisi omnia signa te *Joannes Ludovice Huttere* proderent. Vulnus fuit ingens & horrendum a bregmate usque ad occiput hians, & plane ejusmodi, ut quot quot illud conspexerunt medici, chirurgi, aut alii, aliquo vel tenui judicio præditi homines, non pugione, non ense Hispanico, aut communi aliquo gladio, sed vel securi vel acinace Turio, vel simili aliqua lata, crassa & ponderosa machæra inflatum esse judicarent. Tali autem machæra te, & neminem præterea, in pugnam ruisse & in laniena versatum esse, nemo eorum qui adfuerant, ignorat.

Annon jam mentis oculis cernitis Judices, aliquem horum Franconum, horum tam præclarorum nobilium; Horum, inquam, grassatorum Noricorum aliquem, tormento suo infesto *Laurentio Eislero* vitam eripuisse. *Joannem* aut *Ludovicum Hutterum*, *Hadriano Frisio* caput fidisse? Hoc nempe illud erat quod minabamini, Hutteri crudelissimi, Eisleris, per affinium vestrorum adventum.

Videor vobis ob oculos posuisse Judices, utriusque cædis auctores, verissimis, ut ego arbitror, conjecturis convictos. Huc accedit mater illa crudelissima, adumbrata illa, inquam, mater, quæ iniquior quam ulla noverca, sua amentia, suaque ad crudelissima facinora instigatione, se & liberos suos, si justitia valebit, perdidit. Hæc enim, quasi liberi sui & affines, sua sponte, non satis feroces essent, eos ad carnificinam & lanienam animavit. Cædite, inquiens, ferite, contundite, sternite, fundite nebulones. Hæc veluti buccina, cæteri tanquam signo dato prouunt
man-

mandataque crudelissimæ Medæ strenue peragunt. Quis igitur non videt, hanc quoque harum cædum æque atque liberos suos esse participem? Nec aliena a facinore est soror, quæ in caussa fuit, ut Eislerus pugnam detrectans & domum suam versus se recipiens, indignissima hujus fœminæ voce [nebulonem enim ipsum fugitivum vocabat] commotus, subsisteret & impetum barbarissimorum homicidarum, quem alioqui cum suis evitasset, exspectaret. Multa prætereo brevitatis studio, Judices. Attamen unum esse reliquum videtur, quod prætermitti non debet, quanquam nempe eo rem adduxisse videor, ut principem quidem necis *Hadriani* auctorem Joannem Ludovicum; *Laurentii* ex Franconibus unum; adiutorem, Joannem Jacobum; Inflammatrices, matrem & filiam fuisse docuerim, omnesque hos (quod etiamsi non ipsi manus violentas attulerint, omnes tamen vel adiutores improbitatis, vel socii facinoris, vel conscii flagitiorum fuerint) omnium pene gentium consuetudine & legibus, ob causas quas supra diximus, cædis reos, etiamsi præterea nihil documenti accesserit, statuere queamus: rationem tamen excogitasse videor expeditam, qua unum quodque adversariorum nostrorum dictum & factum etiam minutissimum, quodque (si quid eorum, quod hætenus a me illis objectum fuit, negare voluerint) certis aliquot hominum testimoniis confirmari, planissimeque probari potuerit. Cum quis de maleficio quæstionem instituit, multum referre video, qua ratione quave methodo rem aggrediatur; Non usque quaque uni esse alligati agendi formulæ debemus. Cum res postulat multa extra ordinem sunt instituenda, itaque multa
 olim

olim apud Romanos judicia extraordinaria variis de rebus instituta legimus, sæpissime item extra ordinem in malefici generis homines fuisse quæsitum, optimeque ad criminis indagationem fuisse perventum, a multis memoriæ proditum est; Quid si Daniel puer ille divinus non extra ordinem in Senes Susannæ calumniatores inquisivisset, an pudicissimam fœminam scelestissimorum accuatorum fraudes, & crudelissimum adulterii supplicium evasuram fuisse putatis? An Solomonem Regem illum sapientissimum existimatis veram infantis ex duobus superstitibus (nam alter extinctus inveniebatur) matrem cognitam exploratamque habere potuisse, nisi ratione judicii extraordinaria prudenter usus esset? Hæc atque ejusmodi exempla me commovent Judices, ut in hac quoque causa Hutteriana, per se quidem splendida satis, & clara, sed adversariorum artibus & potentia obscurata, inquisitionem extra ordinem institui postulem, atque a vobis petam, ut me (si quidem personam meam ad eam rem satis idoneam judicaveritis) auctoritate publica munitum Wolcherstorffum mittatis: sed ut omnibus calumniis & hominum suspicionibus ansa amputetur, duos præterea de vestro consilio viros graves & integros mihi adjungi mandetis, qui simul & actionis meæ testes, & inquisitionis præsides adsint, et qui singula, quæ ex testibus quæram capita, et quæ pro testimonio respondebuntur, tabulis excipiant, ad vosque referant. Quod si a vobis impetravero Judices, efficiam profecto, ut non conjecturis, signis et argumentis (quæ certe in causis atrocibus, cum aliis auxiliis destituti sumus, plurimum semper momenti habere solent) sed veris hominum

num probatissimorum testimoniis convicti auctores cædium nominatim exhibeantur. Non enim vulgata illa inquirendi via procedam, neque ex paucis, neque arbitraris præsentibus quæram, sed quotquot vel in Hutteriana, vel in Eisleriana familia, vel denique in universo municipio homines ad dicendum testimonium idoneos cognovero, ex horum singulis jurisjurandi religione adactis quæram, hac comminatione adhibita, ut quis falsum testimonium dixisse aliorum deinde testimoniis convictus fuerit, huic debitam perjurii pœnam sustinenti, digiti, quos virentes erexerit, amputentur, ipse autem quoad vixerit (quod cum in re seria Deum testimonii sui testem invocaverit, & tamen divinam ejus Majestatem peierans ludibrio habuerit) infamis detestabilisque habeatur. Optandum quidem foret, Judices, iis nos moribus vivere, ut securi in tenebris, quod dicitur, cum quovis micare possemus, hominibusque vel injuratis fidem adhibere: Sed mutata, versa & corrupta sunt omnia, cum & nonnullis vel juratis vix jam credi possit. Sed hic duo me consolantur, quod vel in multitudine saltem paucos pios inventum iri sperem, qui nec spe, nec metu corrumpi potuerint, ut falsum jurent, & quod comminatio illa de digitis præcidendis etiam improbos quosdam in recti officio sit retentura. Hæc, inquam, si mihi concesseritis, dicam rem duram, gravem, mihi que ipsi periculosam, Judices, attamen Justitiæ stabilendæ studio dicam confidenter; me nisi veros utriusque cædis auctores nominatim vobis pertulero, me inquam ipsum vobis tanquam ejusdem criminis reum pœnas daturum. Quid vultis amplius, Judices, aut quæ res vos a vin-

dicta de tanto, tamque immani, tamque inaudito facinore sumendo diutius remoratur? Proinde vobis ob oculos ponam dispares utriusque partis conditiones: illinc omnia videbitis indigna, omnia impunita; hinc omnia misera, omnia calamitosa & deploranda: illinc crimina & flagitia exultantia; hinc innocentiam humi pressam, lugentem, neglectam, desertam: illinc matrem audacissimam & filiam procacissimam clamore & adhortatione natos & fratres in insontium sanguinem animantes; hinc cadentes & in sanguine suo provolutos insontes: Illinc post cædes patratas a matre Medæa liberis & affinibus, ovationem & veluti triumphum institui; hinc contra a matre fœmina lectissima & innocentissima, cum Sene marito & liberis, filii sui natu maximi mortem assiduis lacrymis lugere. Hic rogo vos, Judices, animum paternum induite, vobisque esse talem natum filium persuadete, qualem Eislerus amisit, aut talem fratrem, qualem Samuel Frisius, eorumque truncos corporum ita faucios, ita fœdatos ante oculos jacere: quis quæso vobis animus esset futurus, si hæc in vestris filiis videretis? Quod supplicium, quam crucem tantæ calamitatis auctoribus satis esse putaretis? Quo confugeretis? Quo? nisi ad Magistratum, cui Deus justitiæ gladium in manus tradidit, ne tantum scelus impunitum maneret. At in manibus, dum voletis, auctores habebitis, matrem & liberos infæstæ domus Hutterianæ omnes hujus cædis geminæ participes. Quid refert nominatim habere singulos, cum constet, omnes generatim esse maleficii reos? Etenim omnes vel incitatione, vel verberatione quantum in ipsis fuit cædem commiserunt

runt. Joannes Jacobus in vinculis aliquandiu detentus, quid dixi in vinculis, in molli lecto, in mensa lautissima, inter mimos gesticulosos & scurras facetos, inter ferculorum lautitiam, & generosissimorum vinorum fragrantiam hilare & libenter tractatus est. Cur autem dimissus sit, miror, tametsi in causam non magnopere inquirō. Hoc tamen scio; ex hoc solo ad exactissimam totius causæ cognitionem perveniri, ac ipsos veros cædium auctores nominatim exprimi potuisse. Qui enim illos ignorare possit is, qui non modo cædi interfuit, verum etiam cum fratre præfuit. Quæ autem natio tam barbara, aut tam absurdis legibus instructa inveniri queat, ut ex hoc tali homine veros autores non exsculperet, vel ipsum pro homicida puniret? At jure, inquit, non teneor socios & veros autores prodere. Ubinam quæso scripta est ista tam præclara lex? Ego quidem tuam istam legem nunquam vidi, non puto esse in rerum natura, sed contra hanc unam tuam legem omnium pene nationum, omnium civitatum bene constitutarum leges & consuetudines præfero; participem cædis vel exhibere autorem, vel ipsummet autorem se profiteri debere. Hoc amplius tibi dico, Joannes Jacobe, si hoc vestrum facinus vel Venetiis, vel in Hispaniis, vel in aliis quibusdam Europæ locis, ubi justitia viget, commisissetis, jam profecto, neque tu, neque mater tua viveretis: & tuus ille truculentus frater, & ad quodvis audendum projectus, bonis omnibus publicatis, proscrip-tus spiritum nusquam gentium liberum duceret. Sed quid ego Judices, quidve hisce diutius immoror? Quasi non Viennæ etiam homines inveniantur justitiæ

amantes, aut quasi hæc ipsa subsellia non eos sustineant viros integros & incorruptos, qui se a justitiæ gubernaculis nec precibus, nec pretio, nec minis, nec gratia, nec potentia, nec adeo ullis artibus, quibus vos adversarii oppugnant, dimoveri patiantur. Inaudi vi te, Joannes Jacobe, dum in carceribus esses, aliquoties tibi catenas confici aureas curasse: sed quid tu quæso hisce rebus tentes? An te hisce aureis vinculis judicum corda ligare, & judicium corrumpere posse existimas? Ad quem quæso hisce muneribus primum omnium corrumpendum aggredieris? An in augustissimo excelsi regimini Senatu, aut omnino in ullo alio hujus Civitatis consilio sedere existimas aliquem ita avarum, ita animi abjecti & degeneris hominem, & ut verbo dicam, ita perditum prævaricatorem, ut tibi adolescentulo ob facinus tuum atrox supplicium merito, innocentium Juvenum sanguinem, catenis aureis, aut omnino ullo pretio divenderet? Apage cum istis tuis artibus, si hæc cogitas, erras, & deceptum, spero, te invenies.

(f) Sed quid nos cum hoc homine, Judices, diutius disputamus. Ad vos nos convertimus, vestram æquitatem contra Hutterianorum injustitiam, truculentiam & atrocitatem imploramus. Et quoniam in magnis tempestatibus etiam peritissimi gubernatores interdum vectorum & nautarum consilium admittunt, si in statuenda atrocissimorum istorum hominum pœna meum consilium benigne audire dignemini (nam ex tribus pro-

positis
 (f) *Tertia propositionis pars de pœna homicidii irroganda.*

fitis hoc fuit postremum) spero & vos rationes meas probaturos & æquitatis atque justitiæ laudem, apud omnes, qui in Austria vivunt, ex sententiis vestris reportaturos. De hisce autem rebus dum loquor intelligatis velim, Judices, non tam me esse arrogantem, ut vobis quicquam præscribere velim (quid enim ego homuncio vobis tantis viris præscribam); sed cum in gravissima rerum publicarum procuratione & in judicandarum causarum multitudine Vos sæpissime quam occupatissimos esse considerem, ut rerum copia accuratam vobis meditationem adimat; ego qui in unius hujus rei cogitatione diu multumque animum meum versavi, ea quæ mihi in mentem venerant, breviter & sincere vobis explicanda duxi. Adversarii nostri, ut nobis tanquam pueris verborum terriculamentis metum incuterent, nosque a causa persequenda deterrerent, Talionis, seu mutuæ perpeffionis legem nobis objecerunt, quasi, si illos cædis reos ageremus, nec cædem ab ipsis patratam esse planum facere possemus, illa lege, homicidarum pœnam nos ipsi subire cogeremur. O stultam hominum excogitationem, qui cum omnibus compertum exploratumque sit, cædem istam geminam ab iis esse commissam, qui ædes illas funestas ac detestandas vel domicilium, vel hospitium habuerant; tamen ad hujusmodi ineptias abeant, & quasi de cæde Ajacis in deserta silva peremti a Poëtis ageretur, effugia tam ridicula quærant. Homicidas ex domo sua Hutteriani prodiisse negare non possunt: omnes enim sciunt. Quod si ita est, quis non intelligit omnes tantisper culpæ affines esse habendos, donec veros autores ex ipsorum nume-

ro certos exhibuerint : Et si exhibere nolint, familiam illam totam, domum totam, totam societatem, culpæ esse obnoxiam. Valeat itaque Talionis lex in omnes, si in duos ex omnibus valere nolint, mortem intulerunt aliis, mortem optent ipsi, nostrorum sanguinem innocentissimorum fuderunt, suo nobis sanguine nocentissimi pœnas luant. Hæc est, Hutteriani, talionis lex, hæc vos manet, nihil ad nos pertinet. Attamen videte, Judices, æquitatem vel potius lenitatem nostram. Sanguinem istorum nos non sitimus, sicuti ipsi sitiverunt & fuderunt nostrum. Neque enim fuso ipsorum sanguine nostri unquam redivivi ad nos redibunt. Sed in Austria cum vivamus, ubi clementiæ plurimum tribuitur, clementius & mitius cum adversariis nostris agemus, ita tamen, ne sanctissima Dea, Justitia, optima humani generis conservatrix, plane pessundet, sed aliqua saltem ex parte colatur. Cum domus illa Hutteriana multis facinoribus ante patris diu odiosa fuerit, & nunc demum gemina ista cæde nefandum in modum funesta sit, cum etiam verisimile sit, eandem audaciæ speluncam omnibus arcibus Wolcherstorfiæ possessoribus a Sac. Cæs. Majestate constituendis, infestam semper infestamque futuram; Cum in cæde Hadriani Frisii, qui non tam mihi quam Cæsari serviebat, eaque parabat, quæ Augustæ Bibliothecæ magno olim ornamento erant futura, ipsi Cæsareæ Majestati damnum & injuriam intulerit; cum ipsis literis subsidium & ornatum subtraxerit; denique cum ipsa mater nefandis cædibus æque ac liberi omnes se miscuerit: Cum una cum marito, dum viveret, eam ipsam pecuniam, qua domus illa funesta atque infamis ædifi-

ædificata est, vel ex Xenodochii Cæsareani, cui præfecti fuerunt, peculio, (siquidem conjecturis aliquid tribuere velimus) vel ex fundis Cæsaris Wolcherstorfanis, & subditorum suorum sudore corraferit: Cum hæc, inquam, ita se habeant, indigna illa talis mulier omnisque ejus posteritas ea domo videtur. Jure itaque factum iri judico, si hæc ipsi ejusque posteritati, una cum fundis eo pertinentibus adimatur, & Sac. Cæs. Majestatis Bibliothecæ adjudicetur, sic fiet, ut, quemadmodum Viennæ Bibliotheca Augusta Augusto Xenodochio vicina est, ita quoque ea unde utrumque augeri conservarique possit, Wolcherstorffii vicina constituentur, aut saltem domus & fundorum loco, tot florenorum millia, quot excitandæ novæ Bibliothecæ fabricæ sufficiant solvere jubeantur. Deinde cum Hutteriani corpora nostrorum viva reddere nequeant, saltem famam occisorum augeant, monumentum in ipsa Bibliotheca nova excitari curent, nomen, patriam, vitam & mortem interentorum breviter continens, sic fiet, ut cum literis & musis subsidium atque ornamentum hisce cædibus subtraxerint, hac compensatione iisdem aliqua ex parte satisfacisse videantur. Sic Eruditorum musisque consecratorum Juvenum manes utcunque placati expiatique videbuntur. De profugis autem Françonibus, quia verissima propemodum conjectura assequi possumus, aliquem horum Laurentium venenata glande trajecisse, sic statuendum censeo, ut verum auctoris nomen ex Joanne Jacobo quocunque modo extorqueatur (nam latere id eum non potest), cognitum ad Principem Anhalinum fontis puniendi causa deferatur; Proinde Joannem Ludovicum

hujus fontem & originem nostri mali, quia jam sæpius salvum com meatum ad se judicio sistendum petiit; nunquam tamen, conscientia nimirum sceleris sui territus, comparuit, sed toties judicium hoc frustratus est, proscribendum esse, bonaque ejus publicanda sentio. Sed quicquid in hoc genere a me dictum est, commonitionis, non præscriptionis causa me dixisse putate, Judices. Summum enim meum Reipublicæ studium, quam ob neglectam justitiam maxima sæpe detrimenta capere, & veluti consenescere ac morbis affligi compertum est, me hortatur, ut, cum omnes eam salvam esse optare debeamus, & ut incolumis permaneat, pro virili quemque sua parte laborare oporteat, ego veluti in navi communi, ubi etiam illi, qui nihil, aut parum intelligunt, solliciti tamen omnia navis latera circumspiciunt, si qua sorte contignationes nimis fatiscant, aut alterius quippiam periculi immineat; sic, inquam etiam si minus fortassis, quam cæteri videam, sollicitudo tamen quædam innata me hortatur, ut pericula circumspiciam, iisque qui me & plus possunt, & plus intelligunt, aperiam. Id ipsum igitur etiam a me hodierno die esse factum vobis persuadeatis. Mente enim perspicio futurum, si eos qui omnia divina humanaque jura, novo, inaudito & inexpiabili scelere polluerunt, seque nefario innocentissimorum juvenum latrocinio dicam, an carnificina, an vero laniena obstrinxerunt, eo non adegeretis, ut pœnas Deo hominibusque persolvant, plurimi alii mihi credite, propediem exorientur nefarii, atque scelerati homines, qui pessimum Hutterianorum exemplum secuti, ulterius procedent, majoraque tentabunt.

¶ Quin

Quin illi ipsi fratres Hutteri atque ipsorum affectæ & clientes (quos quominus novimus, eo periculum nobis majus imminet) crudeles illas suas sicas a cervicibus & jugulis nostris non abstinebunt. Non Eisleriani Wolcherstorfi, domi suæ, intra sacros suos penates, non frater Hadriani, Samuel Frisius, Viennæ, non ego ipse domi meæ, non in Schola, non in Cæsareana Bibliotheca, non in Foro, non in Sacro-Sanctis Templis; ab horum insania, & projecta audacia liber ero. Immo vero, jam nunc mihi circumspiciendum puto, si quis forte gladiator conductus hic inter alios lateat, atque hanc meam actionem sica aliove telo ulcisci aggrediatur. Ego quidem, Judices, non ex iis sum, qui maxime sint timidi, non etiam ex iis, qui tam perditis horum temporum moribus salutem meam plane negligam. Itaque hac ipsos conditione, facultatibus multandos, vita donandos, esse censeo, si vadibus & prædibus cavere nobis atque satisfacere potuerint, neminem nostrum præterea ab ipsis aut eorum clientibus & affectis deinceps læsum iri. Vixi ego quidem jam satis naturæ, utinam etiam gloriæ atque animæ saluti, sed si tamen isti ab hoc judicio impuniti & absque cautione satisfactioneque abierint, atque aliquem postea nostrum occiderint, non profecto dissimulo, sed præ me fero, Judices, hoc me putare, non tam Hutterianos vestris sententiis absolutos, quam vos ipsos cædis nostræ autores esse habendos. Sed providebitis spero, quocunque modo, quæ vestra est prudentia, ne improbi vestra negligentia innocentibus insultent, aut calamitatem adferant. Prudentiam enim tuam & vigilantiam Prætor Huttendorferi novi, novi ani-

mi fortitudinem, novi quam laudem, quam gloriam in hac tua Prætura ex facinorosorum animadversione jam nunc tibi comparaveris. Novi quoque reliquos Senatores integerrimos Reipublicæ & justitiæ amantissimos, qui turpia pessimorum facinorum exempla initio, antequam serpent latius, radicitus esse tollenda intelligunt, ne malo inveterascente ad multorum bonorum perniciem, & forsan etiam aliquando ad suæ ipsorum posteritatis calamitatem redundet.

D I X I.



ELE.